DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE

# ENCEPHALITIDE

QVAM
AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRAESIDE

ERNESTO PLATNERO
PHILOS. ET MED. DOCTORE, SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS CONSILIARIO AVLICO, PHYSIOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ORDINIS MEDICORVM DECANO, INSTITVT. CLIN. ELECTORAL. EPHORO, ACADEMIAE DECEMVIRO, NATIONIS SAXONICAE SENIORE, COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM COLLEGIATO, SOCIETATIS MEDICORVM HELVETICAE ET OECONOMICAE LIPSIENSIS SOCIO

A. D. VII. FEBR. CIↃIↃCCC

AD
SVMMOS ARTIS MEDICAE ET CHIRVRGIAE
HONORES OBTINENDOS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS CONSTANTIN
ILEBVRGENSIS
MEDICINAE BACCALAVREVS

LIPSIAE,
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

Tanta eſt de hoc morbo ſcriptorum copia, tanta obſeruationum eo pertinentium praeſtantia, vt qui, nouis obſeruationibus deſtitutus, huius morbi deſcriptionem iterum ſuſcipiat, ſuperfluam operam aggredi videatur. At quoniam non omnium obſeruationum in arte medica eadem veritas eſt atque auctoritas, nec ſine circumſpectione iis fidem oportet adhibere: aequum eſt illas et examinare diligenter, et ſubinde repetere. Qui labor licet a viris eruditis tantum ſuſcipi debeat, vt commoda illa praeſtare poſſit: cum viri docti aliarum inflammationum naturam noua obſeruationum expoſitione illuſtrantes, encephali inflammationem praeteriiſſent, huius morbi naturam pro viribus declarare, ne a iuuenis quidem modeſtia putaui fore alienum.

Ill. Reilivs inter alia in artem medicam merita, hoc praecipuo ſplendet, quod phaenomenorum, quae corpus humanum aegrotum praebet, et qnae adhuc in deſcriptionibus morborum compoſitorum, quamquam doctis ceteroquin et

diligentibus, ſine omni ordine recitata deprehenduntur, quodcunque ad eam partem organicam retulerit, in qua cauſſa eiusdem latet; quo vno modo, vt mihi videtur, pyretologia in ſyſtema redigi poteſt. Itaque in hoc opuſculo phaenomena in encephalitide nobis relata in reſpectu eorum ad morbi ordinem, ſpeciem et genus conſiderabo, et ab iis, quae ad alias febres cum ea coniunctas pertinent, disiungam. Simul de cauſſis huius morbi externis, eiusdemque exitu et periculis nonnulla dicam.

---

Anomalam virium vitalium actionem in quacunque parte organica, a mutata eius conditione interna, et quidem ſine ſtructurae eiusdem laeſione, pendentem, et inconſuetis reactionibus ad conſueta incitamenta ſe prodentem, febrem vocamus. Vnaquaque enim pars organica corporis animalis vim ſibi propriam habet, quae chemica mixtione et ſtructura, vt veriſimile eſt, continentur, et mutationibus obnoxia ſunt pendentibus ab hac propria ſua natura et conditione. — Febris igitur per illam ſuam definitionem morbus eſt communis, qui omnes partes corporis humani organicas attingere poſſit, nec vni magis quam ceteris conueniat. Itaque etiam vaſa encephali, ſi vires eorum ſunt modo deſcripto mutata, febre laborant. Actiones quas exſerunt haec vaſa, ſymptomata ſunt febris horum vaſorum, et minime alius partis organicae, quarum quaeque proprias actiones profert, et cum febre laborat,

propria

propria ſymptomata exhibet. Hac fonte querelae adhuc hauſtae ſunt, de febris ſymptomatum inconſtantia. Febris enim in ſyſtemate non ſpecies eſt ſed ordo, et hac de cauſſa ſymptomata, quae ad ſpeciem pertinent, febri ſunt nulla, ne quidem illa pauca, quae accuratiori ceterorum perpenſione, qua et haec amplecti deberent, remanſerunt.

---

Encephalitis igitur eſt ea febrium ſpecies, quae vaſis cerebri, cerebelli eorumque membranarum accidit. Symptomata exhibet, quae febribus vaſorum capillarium communia ſunt. Eorum tamen nonnulla poſt mortem demum a medico animaduertuntur. Inflammationes externas agnoſcimus dolore, ardore, rubore, tumore; at vero in internis haec ſymptomata nobis plus minusue occulta remanent. *Dolor capitis* ſymptoma encephalitidis eſt, ſed minime ſignum eiusdem, vt plurimum enim et in febre vaſorum ſimplici et capitis aliusmodi affectibus reperitur. Maximus quidem eſt in encephalitide dolor, ſed pro gradu ſymptomata in ſignificando peculiari morbo minime valent. Continuus dolor in encephalitide fixus, vrens cum ſenſu tenſionis, pulſationis, preſſionis, conſtrictionis, et tactu non augendus vulgo deſcribitur; verum omnes hae doloris modificationes pro intenſitate et ſtatu morbi aliisque conditionibus non ſolum in ipſa encephalitide variant, ſed etiam in dolore capitis a quacunque cauſſa oriundo vſu

veniunt. Dolor capitis in encephalitide ab affectione neruorum inter vaſorum inflammatorum tunicas currentium videtur oriri, et molecularum in iisdem per proceſſus chemico-animales acceleratas efficaci euolutione augetur. Itaque ſi morbi decurſu irritabilitas horum vaſorum ſimul cum eorum tono hebetata eſt, ſi ſanguis vaſa demortua implet et tumefacit, interdum et pars fibroſa eiusdem et lympha vaſorum *limites* propter eorum atoniam tranſeunt, et in telam celluloſam aut in ventriculos cerebri et inter eiusdem inuolucra effunduntur: dolor pungens et ardens in obtuſum mutatur cum ſenſu compreſſionis et conſtrictionis. Tandem cerebri *ipſo*, per morbi exitum funeſtum affecto, eiusque viribus exhauſtis, dolor, quamquam eius cauſſa adhuc remanet, ſenſu aegri non percipitur.

*Congeſtio ſanguinis.* Interna partis organicae mutatio, in qua febris ad illam pertinentis cauſſa latet, et proceſſus chemico-animales in hac parte accelerati iuſto maiorem ſanguinis poſtulant affluxum, et hac de cauſſa irritabilitatem in maiori minoriue ſyſtematis vaſorum parte augent. Haec ſanguinis in encephalitide ad caput congeſtio apparet faciei rubore et intumeſcentia, carotidum pulſu accelerato, ſuſurru aurium, viſus obnubilatione etc. quibus ex ſymptomatibus, ſanguinis in vaſis encephali inflammatis accumulationem, quam in externis inflammationibus rubore conſpicuo agnoſcimus, coniectura tantummodo aſſequimur. Hac de cauſſa his ſymptomatibus congeſtionum in connubio cum aliis tantum pro indiciis

vtimur.

vtimur. Signa febris partis organicae, peculiares eiusdem effectus, ſeu ſuae ipſus ſymptomata eſſe debent; congeſtiones antem ad caput, cuique febri in eiusdem partibus organicis, catarrho, eryſipelati faciei aliisque ſunt communes.

*Calor capitis* in encephalitide quidem magnus et ardens eſſe ſolet, ſed minori gradu etiam in aliis capitis affectionibus non ſolum, ſed in febre etiam ſyſtematis vaſorum, per totum corpus humanum diffuſi, reperitur. Qua de re ex calore neque encephalitidem adeſſe, neque, ſi adeſt, quam grauis ſit iudicari poteſt. Scilicet fallax in hac re eſt ſenſus aegri. Et in encephalitide prae primis ſenſu interno mutato etiam caloris ſenſus augeri videtur; quamquam prima eiusdem cauſſa, in aucta euolutione materiei, caloris per proceſſus chemico-animales celeriores in vaſis febricitantibus, probabili modo eſt quaerenda. Interdum tamen hi aegroti de ſenſu caloris nimii minime queruntur, quamquam materiei caloris abundantiam adeſſe, oculi lacrimantes et ſplendentes, totius capitis volumen auctum et vapores ex eodem adſcendentes conſpicui oſtendunt.

Hinc apparet nos ſymptomatibus encephalitide quamquam peculiaribus, propter occultam eorum naturam, pro ſignis eiusdem ſufficientibus vti non poſſe. Itaque febrium cum noſtro morbo coniunctarum, tum praediſpoſitionis indiuidui et cauſſarum remotarum in encephalitidis diagnoſi rationem habere oportet. Sed hac de cauſſa certam encephalitidis

litidis diagnoſin nunquam poſſumus ſtabilire, et nihilominus cauendum eſt, ne ſymptomata aliarum febrium ſimul praeſentium pro ſymptomatibus encephalitidis habeamus.

---

Neceſſe eſt vt nunc de genere cui encephalitis eſt ſubordinanda, ſeu de ipſius morbi charactere, nonnulla dicam. Virium mutationem ordinis, i. e. generis ſuperioris, ſignum eſſe iam dictum eſt: ipſius mutationis modo, genus determinatur. Vt actiones in parte organica oriantur, mutatio conditionis eiusdem a cauſſis externis poſtulatur. Eam igitur partis organicae facultatem, per quam a cauſſis externis incitari poteſt, vocamus irritabilitatem, alteram qua actiones profert, vim reagendi. Cum harum virium actio a materiei varia conditione pendeat: fieri poteſt, vt vna earum ſola aut cum altera ſimul, et denique vtraque vario modo normam excedat. Tria genera febrium hinc ſtatuimus, et quidem ita, vt primo irritabilitas aucta ſit ſimul cum vi reagendi, aut cum huius ſtatu normali: ſecundo irritabilitas aucta et vis reagendi diminuta: tertio denique tam irritabilitas quam vis reagendi diminuta, iners, plus minusue exhauſta reperiatur. Primum genus appellatur *Synocha*, ſecundum *Typhus*, tertium *Paralyſis*.

Quomodo hi diuerſi characteres in encephalitide ſint dignoſcendi, paucis inquiram. Modificationes ſymptomatum partis organicae febricitantis, ſi tales animaduertere et diiudi-

care

care poſſumus, hanc characteris diagnoſin faciliorem nobis reddere debent. Ita plurimi medici, quantumuis vario modo eruditionis praediti, ex pulſu pleno et duro, aut paruo, celeri et irregulari in febribus compoſitis, omnium febrium cum febre vaſorum ſimul iunctarum indolem declarant. Ita in inflammationibus externis, in febribus organorum ſecernentium cum profluuiis, in exanthematibus, quibus modificationes ſymptomatum conſpicuas habemus, character leuiori diſquiſitione erui poteſt, quam in iis quarum ſymptomata ipſa vix clare perſpiciuntur. In inflammationibus internis ſicuti et in encephalitide dolor acutiſſimus et calor ingens exiſtimantur ſynocham harum febrium ſignificare. At vero tum doloris cauſſa, tum obſeruatio docet, eum in inflammationibus internis a debilitate, i. e. ex genere typhi, minorem minime exſtare, quam in illis ad ſynochae genus pertinentibus. Simili modo calor ille mordax in typho, licet alium originem, quam calor in ſynocha videatur habere, et a ſolutione fluidorum incipiente veriſimile pendeat, cum calor in ſynocha, a materiei caloris maiori copia per actiones nimias ſed adhuc validas nata, ortum habeat, tamen eſt maior illo in ſynocha. Qua de cauſſa ad ortum eiusdem inprimis reſpicere neceſſe videtur. Facies rubra et tumida reperitur in encephalitidis vigore, morbi autem exitu ad mortem palleſcit et collapſa flaueſcit. Haec phaenomena tamen a ſanguine antea ad caput congeſto et nunc recedente minime ſunt deriuanda, quia congeſtiones

inflammationibus cuiuscunque characteris omnibus propria sunt. Igitur quoniam symptomatum encephalitidis ad characteris eiusdem diagnosin nullus vsus est: febrium cum encephalitide coniunctarum characterem iam perspectum, aegroti corporis constitutionem et caussarum remotarum indolem respiciamus necesse est. Sed ob eam rem characteris non minus occulta diagnosis est, quam speciei. E febribus concomitantibus phrenitis et febris vasorum prae primis aliquid momenti habere putantur, ad characterem encephalitidis dignoscendum. Variae indolis deliria in obseruationibus circa encephalitidem reperiuntur descripta. Alterum delirium furiosum alterum soporosum vocant. Ex illo morbi vigorem, ob virium exaltationem cum euergia nimia, ex hoc autem morbi periculum propter vires exhaustas diiudicant. Rei tamen accuratior obseruatio docet, inter ista duo extrema genera delirii tertium quoddam interesse. Delirio nimirum furioso omnes actiones organi animae innormales exaltatam in eodem irritabilitatem produnt. Interdum reagendi efficacia simul nimia valet: tum aegroti vultus ferox est, oculi splendent, torui circumuoluuntur, aeger impatiens vinculorum, verberibus, morsu, screatione quemlibet approximantem petit, summaque voluntatis peruicacia et obstinatio est. Alii autem delirantes hilares perpetuo rident, aut desperati et pauidi lacrimas cohibere non possunt, aut his diuersis animae affectibus per vices torquentur. Cum hoc dolosi sunt, dissimulantes et blandi nihilominus

nus mordentes quemque et conſpuentes. Hae animae actiones ipſae, earumque perpetua viciſſitudo, et energiae perſpicuus defectus, ſolam irritabilitatem auctam eſſe oſtendunt. Delirium priori loco deſcriptum ad phrenitidem ex genere ſynochae, alterum vero ad typhi characterem pertinere, manifeſtum eſt. Tandem in delirio ſoporoſo ſtupor continuus, ſurditas et loquendi difficultas, capitis circumiectio, et manuum verſus caput agitatio, ſuſpiria vix interrupta, aliique ſtupidi geſtus, paralyſin cerebri ſubſtantiae plus minusue exactam atque extenſam produnt.

Febris vaſorum cum encephalitide ſemper fere incedentis characterem dignoſcimus ratione pulſus. Arteriae nimirum, ſi non modo irritabilitate exaltata, ſed et vi reagendi aequali gaudent, magnae, plenae et durae deprehenduntur. Sola irritabilitate arteriarum in typho aucta, cum infirmitate reagendi, motus illae celerirmos quidem exſerunt, verum absque iuſto vigore. Prius quam ſanguine ſunt repletae iterum ſe contrahunt; qua de cauſſa pulſus celer quidem reperitur, ſed ſimul paruus et vibrans. Tandem ſi cum vi reagendi irritabilitas ſimul eſt exſtincta: arteriae a ſanguine tantummodo ad vibrationes exiguas et inconſtantes incitari poſſunt, et hunc arteriarum motum, quamquam pulſus nomine vix dignum, pulſum minimum intermittentem vocant, qui mortem ob paralyſin totius ſyſtematis vaſorum ineuitabilem, indicet.

Has ſymptomatum modificationes, febris ad quam pertinent characterem perſpicuum reddere, nemo eſt qui neſciat. Aliarum autem febrium ſimul iunctarum characteris conſtantia ſigna praebere easdem non poſſe, haud minus clarum mihi videtur. Encephalitis, febris vaſorum et phrenitis, ſi in vno indiuiduo exſtant, varium inter ſe nexum cauſſalem habere poſſunt. Aut encephalitis cauſſa remota fuit tam febris vaſorum, quam phrenitidis; aut a febre vaſorum vel phrenitide vt a cauſſis remotis producta eſt encephalitis, aut denique vnius cauſſae externae omnes iunctim effectus haberi debent. In vtroque caſu, vt eiusdem characteris ſint omnes, nullo modo ſequitur. Quaeque partium organicarum animalis corporis per ſe conſtat, quaeque propriam virium ſuarum normam continet, et hac ratione neque omnes, communi cauſſa externa affectae, vno eodemque modo mutantur; neque morbus vnius partis, qui a morbo alterius efficitur, eandem neceſſario indolem habet. Attamen febres vna praeſentes in decurſu morbi vnum eundemque characterem non poſſunt non induere, ſed huius rei cauſſam in communi et mutua omnium organorum coniunctione et neceſſitudine quaerendam eſſe, puto.

Porro praediſpoſitionis in ſingulo quoque aegro et cauſſarum remotarum rationem habere, in eruendo huius morbi charactere, oportet. In ſene, fame atque curis debilitato, aut voluptatibus exhauſto, encephalitidem praeſentem ex

typhi

typhi genere esse, nemo qui, eam in iuuene robusto, bene nutrito et voluptatis experte ad synocham pertinere, intelligit, negabit. At inter haec extrema fere plerumque medium deprehendi, certum est. Qua de caussa non semper praedispositione morbi characterem dignoscere possumus. Caussarum quarundam rematerum in morbi characterem peculiares effectus extare, inter omnes constat.

Tandem ii, qui ab incitamentis externis et corporis organici incitabilitate omnem vitam omniaquae vitae sanae et aegrotae phaenomena deducere conati sunt, characterem seu formam morborum, e solis incitamentis antea admissis eorumque copia intelligi volunt. Quamquam illius sententiae argumenta, sicuti multa alia totius disciplinae Brunonianae, adhuc nullo modo sint refutata, tamen, si phaenomena corpus aegrotum profert morbi characterem illustrantia, vt his ipsis ad eum pernoscendum vtamur, necesse videtur: cum vim vniuersam incitamentorum adhibitorum raro tantum considerare et colligere, eorumque in debilitatem directam, stheniam aut asthenniam indirectam, effectum, ex illis ipsis solis diiudicare possimus. Praeterea quisque facile intelligat, hanc de vita et morborum genesi sententiam, cum ea quam hoc opusculo sequimur minime conuenire.

---

Differentias nonnullas encephalitidis accidentales nunc conſiderabo, et quidem primo loco illam, quae ab eiusdem cum aliis febribus coniunctione ducitur. Praeprimis de phrenitidis cum encephalitide nexu adhuc dubia multa reliqua ſunt hoc loco conſideranda. Cerebrum omnes neruos excipit, omnibusque originem praebet, quibus deſtituti res externas neque percipere, neque in eas effectus exſerere poſſumus. Igitur rerum externarum nobis repraeſentationem, et voluntatem, actiones eſſe cum cerebro proxime coniunctas, exiſtimandum eſt. Actiones mutatae vires mutatas in parte organica illa, qua ſola perfici poſſunt, ſemper indicant. Inconſuetae igitur nobis rerum externarum relationes, et inſanae voluntatis actiones, quae iunctim nomine delirio comprehenduntur, ſymptomata cognita ſunt febris cerebri. Et tamen encephalitidem cum delirio non neceſſario iunctam et ſine eo repertam eſſe, experientia docet. Scriptores hac de cauſſa de phrenitidis natura valde diſſentiunt. Nonnulli eorum ſub encephalitide et phrenitide quaſi ſynonimis, vnum eundemque morbum intelligunt. Alii phrenitidem ſingularem morbum quidem eſſe, volunt, verumtamen qui ſimilibus cum encephalitide ſymptomatibus appareat. Alii denique phrenitidem et delirium pro ſynonimis habent, et quoduis graue delirium in febribus compoſitis, aut in encephalitide aut in polycholia phrenitidem appellant. Si quis, morbo iam denominato, et ita quidem vt nomen eius aptum ſit, aliud nomen inuenit,

morbi

morbi naturam dubiam potius reddens, quam declarans, rem manifesto inanem facit. Si, phrenitidem morbum peculiarem esse, alii demonstrant, congestionibus ad caput et deliriis apparentem: necesse adhuc esset, eam ab encephalitide ita distinxisse, vt, quae pars organica morbo sit affecta, perspiceretur. Simili modo qui quoduis delirium phrenitidem vocant, et pro symptomate habent, cuiusnam febris symptoma illud sit, ostendere deberent. Encephalum vti pulmones, hepar, musculi, arteriae, nerui, pluribus organicis partibus compositum est. Sine sanguinis et neruorum auxilio systemata organica agere non possunt, sed praeter vasa sanguifera et neruos, quodque horum compositorum organorum propria adhuc parte est instructum, cuius chemica mixtione et forma id ipsum ab aliis discernere possumus. Porro quamque horum systematum organicam partem sine alterius affectione affici posse, experientia docet. Variae exstant febres cuiusque organi. In musculo inflammationes reperiuntur, et rheumatismi, et convulsiones; in hepate inflammatio, spasmi et polycholia, in ventriculo inflammatio, cardialgia, atonia. Omnes hae virium mutationes, si cum normali partium organicarum structura exstant, actionibus inconsuetis apparentes, a febrium ordine nullo iure excludi possunt. Quis est qui inflammationem et conuulsionem in musculo, pro vno eodemque morbo habeat? Quis qui inflammationis rationem in neruis musculi, aut eius simplici fibra, et conuulsionis sedem in vasis sanguiferis quaerat?

rat? In rheumatiſmo muſculi, dolores, actiones morboſae neruorum illi intertextorum, ſignum praebent febris in eius neruis, fibris muſcularibus et vaſis ſanguiferis interim ſanis, inflammatio et conuulſiones deſunt. Hepatitis ſine polycholia, icterus ſpaſticus ſine hepatitide, et polycholia ſine ictero ſpaſtico reperitur. Itaque, ſi plura horum ſymptomatum, in vno eodemque organo ſimul apparent, nil niſi plures febres in eodem ſimul adeſſe ſequitur. Nunc, ſi ſymptomata encephalitidis apparent absque delirio, minime deſideratur ſymptoma encephalitidis, ſed febris ipſa alia, cerebri nimirum propriae ſubſtantiae, cum febre vaſorum eiusdem vt plurimum coniuncta. Subſtantia cerebri peculiaris inepta eſt ad inflammationem, nec delirii cauſſa eſt in vaſis ſanguiferis. Ex quo apparet, febrem eſſe, quod ſcriptores plurimi phrenitidem dicunt, ſubſtantiae cerebri propriae. Qua de cauſſa et huic nomini, quamqnam inepto, adhuc vtimur ad illam febrem ſignificandam. Cauſſa coniunctionis quam phrenitis habet cum encephalitide, in ſanguinis maiori copia ad proceſſus chemico-animales acceleratos neceſſaria, et mutatione propriae ſubſtantiae, per ſanguinis nimium affluxum poteſt reperiri. Igitur hae febres cohaerent non vti morbus et ſymptoma, ſed vti cauſſa remota et morbus: aut denique omnem nexum recuſant, et ſunt coeffectus vnius cauſſae externae.

Hoc exemplo et encephalitidis cum aliis omnibus febribus conexio perſpici, et quoduis ſymptoma ad ſpeciem ad

quam

quam pertinet, referri poteſt. Laſſitudinem, artuum grauitatem atque dolores, moroſitatem, aliaque ſic dicta prodroma, pulſuum rationem, frigus et calorem, tranſpirationis et ſecretionis vrinae ad morbi ſolutionem varias conditiones, a febre vaſorum et neruorum affectione, huic vtplurimum praecedente, et primos ad eam progignendam cauſſae remotae effectus, vti videtur, continente, deriuamus. Dolores in hypochondrio dextro et in praecordiis, nauſeas et vomitum bilioſum ad polycholiam et cardialgiam, quae peculiares febres exſtant, et ab encephalitide vt a quacunque alia cauſſa externa, per conſenſum inter haec organa validiſſimum, oriuntur, deducimus. Humorum in membrana pituitaria narium ſecretorum profluxus perpetuus, ſternutatio, deglutitio difficilis, tuſſis etc. ad febres pertinent ſingulares, propter vicinitatem, aut communem originem arteriarum illorum organorum, quorum ſymptomata ſunt, cum arteriis encephali, ſimul concitatas.

---

Adhuc de encephalitidis diuiſione in apertam et occultam pauca dicam. Poſt laeſiones cranii violentas plurimi ſe obſeruaſſe dicunt tales occultas encephali inflammationes. Interdum duabus tribus vel pluribus ſeptimanis poſt acceptam laeſionem capitis (ſine oſſium fractura) optima ſanitate peractis, ſigna encephalitidis ſubito apparent. Itaque inflammationem occultam per hoc temporis ſpatium natam et ſenſim perfectam nunc demum perſpicuam fieri plurimi credunt.

Qua ratione haud intelligere poſſum. Morbus non prius adeſſe poteſt, quam ſymptomata, ex ſymptomatibus cognoſcitur morbus et his deficientibus ille locum non habet. Laeſio cranii eſt cauſſa remota, quae vt morbum efficiat, materiei conditiones internas prius alienare debet. Cum haec materiei permutatio in his caſubus, per triginta dies progrediatur, prius quam morbum efficere poſſit, cum alii morbi tempore multo breuiori ex cauſis remotis ſuis oriantur; hoc non tam difficile intellectu mihi videtur. Ergo ad illam opinionem: morbum iam antehac adfuiſſe quam a nobis agnoſceretur, confugere haud neceſſarium. Prius quam ſciamus, quo modo cauſſa remota ad producendum morbum agat, temporis, quo agere debet, ſpatium non definire, neque illud quod natura morbi poſuit vnum certum eſſe poſſumus affirmare. Et veriſimiliter in multis aliis morbis cauſſa remota longius temporis ſpatium ad morbum progignendum intentit. Hoc inde probabile eſt, quod tam ſaepe cauſſam remotam ne ipſam quidem, et multo minus temporis, quo agere incipit, momentum agnoſcere poſſumus.

Inter alios iam clar. Pott cauſſae remotae in encephalitide occulta poſt laeſiones cranii, primum effectum bene perſpexiſſe mihi videtur. Etenim encephalitidem poſt laeſiones cranii ſemper fidenter praedixit, cum ad locum, quo vis violenta erat applicata, tumor apparebat. Hic tumor, vti bene docet, a ruptura vaſorum, quae vbique e cranio proueniunt,

et

et quorum ope dura mater cum pericranio cohaeret, eſt derivandus. Qua de re eodem modo, vt humores extrauaſati, cranium inter et capitis integumenta ſtagnantes, tumorem efficiunt, ita et inter cranium et duram matrem eiusdem indolis humores continentur et ſtagnant. Itaque ſi in tumore externo dolor accidit, encephalitidis ſymptomata proxima expectantur. Humores enim illi, per tantum temporis ſpatium ſtagnantes, et ita permutati, vt inflammationem proferre poſſint, eodem modo vt in pericranio ceterisque capitis integumentis, in dura matre quoque inflammationem excitant. Simili modo et alia phaenomena in hac encephalitide ſic dicta occulta intelligi poſſunt. Ex his apparet: morbi quidem cauſſam proximam a momento laeſionis incipere, ſed morbum, qui conſtat actionibus organi affecti alienatis, prius adeſſe non poſſe, quam actiones alienatae adſint. Itaque haec occulta inflammatio nil eſſet niſi periculum verae inflammationis adhuc futurae.

At alius chirurgus cell. Dease ſub nomine encephalitidis occultae intelligit veram inflammationem et quidem piae matris, quae nunquam niſi ſupuratione iam peracta appareret, et quidem ſymptomatibus preſſionis cerebri a pure collecto. Quod ſi verum eſt et vere obſeruatum; vel interdum adeſſe morbum, cui hoc nomen conueniat, negari non poteſt. Sed antequam id vt certum aſſumamus, nonnullae prae primis quaeſtiones neceſſariae videntur. Primum: num ſuppurationem

inflammatio ſemper praegrediatur. Forſan ſuppuratio, peculiaris vaſorum minimorum morbus ſponte oriri poteſt. Forſan aliae virium harum organicarum partium mutationes nobis adhuc incognitae exſtant, quae vaſcula illa ſimili modo, vt inflammatio, ad ſuppurationem praeparare poſſunt. Nemo, niſi qui ſe nullo modo errare poſſe credat, has dubitationes dicatinanes. Tunc qui perpendit nos adhuc pus a humoribus conſimilibus haud diſtinguere poſſe, non dubitabit, veteres, qui de hoc diſcrimine non ſolliciti erant, pus ſibi viſos eſſe deprehendiſſe, vbi ſuppuratio non minus quam inflammatio nunquam adfuerat. Lympha coagulabilis, poſt laeſiones cranii violentas extrauaſata, et ſtagnans ita mutata, vt inflammationem efficere potuerit, et ſimul puri ſimilis reddita ſit, ſententiae de inflammationibus occultis vtplurimum videtur occaſionem praebuiſſe. Tandem etiam, ſi occulta inflammatio a momento laeſionis iam adeſſet, et vſque ad ſuppurationem nunc apparentem ſine perſpicuo effectu continuaſſet, tamen aegrum ſine encephalitidis ſignis omnino fuiſſe dubito. Vix credere poſſumus omnia ſigna in illis caſibus defuiſſe, cum iam ante Deasii obſeruationes, medici plures nulla admoniti cadaueris ſectione, inflammationem cerebri ſuſpicarentur. Si autem gradu tantum variant ſymptomata: idem morbus nominibus diuerſis non eſt ſignificandus.

Denique ſi experientiae tam multorum et clarorum virorum aliquid tribuere neceſſe eſt, negare non poſſumus, interdum

dum et inflammationes dari, prae primis piae matris, quae nullo ſymptomate perſpicuae reddantur, et hac ratione occultae encephalitides recte nominentur. In iis ſymptomata quidem adſunt, ſed variis de cauſſis non animaduertenda. Rubor nimirum in encephalitide acutiſſima propter congeſtiones ad caput praeſens modo exiſtimatus, neque in parte inflammata ipſa conſpiciendus, omnino deſideratur in inflammationibus leuioribus, et iis quae partes occupant ita conſtructas, vt proceſſus chemico - animales minorem ſanguinis affluxum efficiant, quam alioquin fieri ſolet. Simili modo tumor in acuta encephalitide e ſignis preſſionis cerebri apparens, in hac occulta, ob inflammationem leuiorem, aut partis inflammatae ad tumorem ineptitudinem plane deſideratur. Doloris abſentiam e neruorum in pia matre defectu ii deducunt, qui inflammationis occultae ſedem ſemper in pia matre quaerunt. Sed, vti mihi videtur, dolor ſymptoma eſt affectionis praeprimis eorum neruorum, quibus vaſorum membranae ſunt inſtructae, et hac ratione omnium inflammationum conſtans comes, et, pro intenſitate et extenſitate inflammationis tantum diuerſus. In hac encephalitidis varietate, dolor partis affectae veriſimiliter ab anima variis de cauſſis non percipitur, v. c. propter doloris in vulnere externo ſimul praeſente maiorem grauitatem, propter preſſionem cerebri a laeſione violenta cum inflammatione ſimul ortam, etc. Eadem ratione vti congeſtiones, ita et febris vaſorum, delirium, aliique morbi qui cum

encephalitide acuta ſe iungere ſolent, in hac varietate deſiderantur. Ex quo intelligitur chronicae encephalitidis nomen et hic recte adhiberi.

Itaque credo: inflammationes chronicas in partibus cranii contentis inueniri vti in aliis partibus organicis; ſed absque ratione nonnullos inflammationem encephali occultam vt ſemper neceſſariam poſuiſſe, vbicunque encephalitis acuta temporis ſpatio conſueto longiori poſt laeſionem capitis violentam acceſſerat.

---

De exitu huius morbi ſequentia mihi videntur notanda. In vigore morbi vt plurimum mors per apoplexiam adducitur. Apoplexiae cauſſa externa, nimirum encephalitis, continuatur, et hinc illa fit inſanabilis. Hic eſt exitus plurium encephali inflammationum, quibus febris vaſorum et delirium mox initio accedunt et cum iisdem creſcunt.

Si morbus eſt ſimplicior atque febris vaſorum cum delirio leuior, et vtrumque per vices remittit; ſi vires vaſorum inflammatorum ita conſeruantur, vt functiones earum reſtaurari poſſint: tunc morbus ſoluitur per diſcuſſionem, ſymptomata encephalitidis ſenſim ſenſimque diſparent, ſudores et ſedimentum in vrina ſignificant ſolutionem febris vaſorum, et aeger e delirio hebes ſenſim ad ſe redit. Interdum morbus conuertitur in vaſa exhalantia, et hoc modo oritur hydrops cerebri acu-

tus,

tus, quo ventriculi cerebri aut interſtitia inter eiusdem velamenta, aut omnia ſimul implentur. Si cum hoc inflammatio continuatur et vires ſunt exhauſtae: tunc humores illi extrauaſati pari celeritate reſorberi non poſſunt; et acceleratur mors per compreſſionem cerebri. Contra autem, ſi aucta exhalatione, inflammatio deſinit: viribus conſeruatis et illa mox ſoluitur, humores extrauaſati reſorbentur, et integra ſanitas breui tempore reſtituitur.

Sin diſcuſſio non fit iuſto rempore: tunc harum partium organiſatio non ſolum ratione mixtionis, ſed et formae ita permutatur, vt discuſſio plane fieri nequeat. Sic in alium morbum vaſorum minimorum, ſuppurationem nimirum, inflammatio commutatur. Pus, niſi mox ſponte per nares, aures, aliasque vias, aut per trepanationem euacuatur: quantitate et qualitate ita mutatur, vt cerebrum premat et inflammationem denuo producat. Quod ſi accidit, vita vlterius conſeruari non poteſt. De puris ſpontanea euacuatione, de conuerſione ſuppurationis ad alias partes, collum, dorſum, artus etc. plura exempla memoriae prodita ſunt. Denique ſi inflammatio horum vaſorum in paralyſin abit: cerebrum induratur; at vero vbi cum viribus harum partium ſimul facultas vegetandi amiſſa eſt: oritur gangraena et poſtremo mors.